



EIVSDEM  
V S V S  
HISTORIAE SVAE TERRAE  
ET MARIS.



## §. 212.

**T**heoreticos eius usus non prosequi audeo, usque dum viri, scientia geognostica imbuti, in aliis regionibus has generales obseruationes, cum deducendis inde conjectariis, per experientiam comprobaverint.

a) Nam modus, quem T. O. M. in constructione terrae obseruandum naturae prescrivit, nonnunquam humanos prorsus abhorret modos; et incredibilis aut fictus videtur.

b) Sic natura plurimas montium series, pondus et molem tam immensam, in basi molli lubrica aut facile cedente, ut statamina euincunt, (138. c. d) exstruxit, cum nos in exstructione simili basin firmam quae sitemus.

## §. 213.

Usus autem praticos ex ordine serierum et statuminum, nec non singulari cuiusque indole, paucis indigitare licebit,

O

a)

a) Viris literatis primum dicamus usum, quo systemata corporum naturalium, secundum varias hypotheses composita, magis secundum naturam concinnare possint. Cum illis curae cordique sit, nosse tam producta naturae quam modum nascendi, posterior vix eruendus erit, nisi priora eo disponant ordine, quem natura procreans obseruavit.

## §. 214.

Series igitur, originem suam ex luto marino (46) deriuantes, simul exhibent methodum naturalem, quae corpora aut argillacea aut calcaria, aut arenacea, tam pura quam mixta, (26. a) praesupponit, hisque demum eorum producta, tam homogenea seu species, quam heterogenea, seu composita apponit. (72. 73. 74)

a) Methodus naturalis ac chemica illustr.

Pottii proxime secum inuicem conueniunt; licet terram vitrescibilem seu siliceam loco arenaceae posuerit. (75. f. 120, a)

## §. 215.

Sic argillaceae originis corpora pura, licet rariora, primum ponas, dein frusta secundum has (18. 19. 21) tres series et statimina (11. 13. 15) terris coloratis mixta, postea per salinum mixtum (53. a. c) diversa duritie lapidefacta addas; tunc demum composita, vel a calcaria terra transformata, ut marmora, in seriebus argillaceis (19. a. 21. a) tantum reperiunda; vel salino are-

naceo

naceo luto transmutata, ut iaspidem et porphyritem, iisdem seriebus hinc inde inhaerentes.

a) His tandem addas productum prorsus anomalum, Quarzum cum speciebus, quod nullibi primario inuenitur, nisi in horum montium fissuris, (119. g. h, 39. d) eorumque cacuminum concavis superficiebus, vbi, cum talco micaceo compositum, granitem nonnunquam exhibet.

b) Dein fluorem spatheum, tam purum cum coloratis et phosphorescentibus speciebus seponas, (39. d, 119. f) quam mixtum, aliis stratis inhaerentem, eaque fluvilia reddentem, colligas prope fissurarum confinia.

c) Tum seriei fissilis albidae hinc inde magis viridescente in dolem obserua, quae in recens fosso frusto strias exhibit ad modum salium aut antimonii filamentis compositorum, atque his in locis reperiendum amianthum, veris filamentis coadunatum, appone; quo vero simile fit, hoc corpus sal esse argillaceae originis, aliustamen mixtionis et ortus ac quarzum, aut fluor spathetus, cum stratiformi situ suae seriei inhaereat, ut phaenomena amianthi cum argilla ratione tenacitatis et fixitatis comparare possis, cum ab argilla, matrice sua, non nihil declinet.

d) Adiungas talcum, tam immixtum, quam intenues lamellas aut globos rudes coa-

etum, his seriebus inhaerens, et proprius ad cognitionem huius corporis accedes.

### §. 216.

Si loco degis carbonum seriei heterogeneae (23) aut calcario metallicae (16.a.b) stratis scissilibus propinquo, seponas strata carbonacea lapidea, (140. 143) terrea aluminosa, diuersimode alternantia, et iungas corpora peregrina, vt pisces, plantas etc., vt forsan eruere possis, quo ordine haec terrestria se sint secuta (146) et quo modo lapidefacta fuerint, aut metalla (127 - 131) progenuerint.

### §. 217.

Si vero fundamentali seriei propior esses, colligas molliora strata, vt primogenita minus alterata, et annotes quorsum, accessu salini, in durius genus lapidis, noua lapidefactione, (107. d) transierint. (138. k)

### §. 218.

Dein corpora calcaria pura atque mixta iuxta tres calcarias series (10. 14. 16) in ordinem redigas; metallica enim series in vicinitate montium fissilium, (35. a, 138. p) ob limum, terram umbraceam, et alia impurior est, quam in magis remota regione, atque alia strata continet, ac subsequens farinacea; nec testacea strata illis duabus quoad species conueniunt.

a) Tunc lapides suillos, pingui foetido imbutos, aut marmor mollius spurium, terra argillacea, limo, testisque inter se lapidefactis

Etsi compositum; nec non (75. f) silicem pyromachum, singulariter tantum per gluten animale transformatum, aliosque corneos lapides, extus in puluerem cretaceum aut limosum dehiscentes, seponas.

b) Tandem annexas prorsus heterogeneum sal alcalinum naturale, spathum (39 d, 119. e) lamellatum cum speciebus, quod soli seriei metallicae competit, aut spathum, (39. e, 119. b. d) tartaro-vitriolato simile, magis sal medium referens, quod testaceae inhaeret et farinaceae.

### §. 219.

Heic medium genus gypsum (26. a) prorsus abhorrebit spathum et calcem, licet ex hoc magis margaceo productum, sub duabus seriebus calcariis inter strata argillacea reperiatur, cuius species si disponas secundum hanc methodum, inuenies in priori (15) statumine farinaceo alabastrum, per puluerulentam salis depositionem tam album, quam per terram rubram, striatum immixtam, variegatum, quod in statumine testaceo nonnisi rarissime contigit, in quo potius gypsum crassius crystallisatum largius (11. c. d) procumbit, praeter glaciem Mariae, rhombis oblongis compositam, selenitem perpendicularem et horizontalem (hic longis filamentis, horizontaliter dispositis,) ille, ubique obvius, brevioribus coadunatus est) aliasque species.

- a) Haec autopta colligens perspiciet, inter argillam rubram anomalas solum species reperiri, quae inter bonum gypsum separata strata constituunt, (75. d) certo indicio, salibus communi, diuersam crystallorum figuram et secessum ex diuerso provenire mixto.
- b) Verum ratio decubitus inter argillam rubram has species fluxiliores reliquis comprobat; argillaceorum nempe stratum rimas selenites, in primis perpendicularis, semper replete; hinc elucescit, quo modo haec species inter bonum gypsum separata fuerit, nempe ut fluxilior, serius (119. i) crystallans supernatans, rimas stratorum praecedentium replete apta.
- c) Dein alia strata anomala, peculiarem dispositionem statuminum comprobantia, hoc in loco, aut inter alias statuminis naturalia, reponi possunt etc. Strata ex argilla viridiuscula per sal gypsum in lapidem viridem compactum hinc inde transmutata, aliis in locis gypsum, hac argilla viridi compositum, constituentia; nec non strata, calcis quidem aemula, magis autem argillaceo margacea lapidefacta, aut arenacea spuria, per salem gypsum singulare modo conglutinata.
- d) Occasione huius inquisitionis simul strata margaceo argillacea varia disquires, et variationem coloris, duritiei et absorbtionis,

nis, cum intermixtis stratis lamellaceis, parco admixto glutine in lapideam indolem transeuntibus, percipies. Praeterea reperies hanc argillam rubram cum gypsis speciebus alternantem, proxime infra et supra gypsum fere semper colore albido gaudere, atque has gypsi species nonnunquam singularem arenaceam speciem replere; unde coloris rubri argillacei naturam, atque ipsius speciei gypseae indolem, magis perspicies, et concedes, statumina per sua varia composita plus ad theoriam, quam ipsas series, non ita discernendas, lucis afferre, et argillae ortum magis docere. (11. g. 76. g. et seq. 137. II. c, 138. I.)

### §. 220.

Corpora arenaceae (12) seriei si colligas, perspicies, quod, praeter granulorum variam figuram et indolem, ob gluten argillaceum, calcarium, et salinum differant (hoc strata duriora, politurae capacia, produxit); variant etiam ob immixtam argillani coloratam, limum aut terram umbraceam et non nullis in locis per salem quendam, strata et cauamina sub specie drusarum replentem.

a) Addas heterogeneum, rarius prouenientem, silicem agathiformem, versus exteriora semisolutam arenam, in extremis autem compactam tantum arenam continenter, quem hinc inde tantum superius inter strata, saline glutine lapidefacta, reperi:

an lapis corallus Freybergensis ratione lo-  
ci huc pertineat, ob varios forte montes  
praedicere non ausim.

- b) Nec non micam, alias inter argillam ru-  
bram statuminum disseminatam, his in lo-  
cis autem strata arenacea et argillacea per  
minima strata foliacea separantem (76. e)
- c) Strata argillacea, inter arenacea posita,  
nonnullas etiam speciales suppeditabunt  
obseruationes et conclusiones, in primis  
per colores varios, per subtilem pulue-  
rem (76. c) arenosum et micam frequen-  
tem. (76. e)
- d) Crustae fuscae fissurarum tinctarum, ha-  
rumque varii alii colores, si regionis ne-  
xum pensites, varia porrident argumenta.  
(42. a, 109)

### §. 221.

Cuicunque seriei addas marina conserua-  
ta, testacea, ossa, dentes, astroitas, nec non  
horum testimonia, nucleos calcarios argilla-  
eos, arenosos, rarius limosos, cauamina et  
figuras quarzo, spatho, vel alio sale repletas,  
nec non statuminum testimonia interdum  
singularia (11. e, g, h), et si potes, denotes  
secundum altitudinem seriei stratum, quod  
alibi nonnunquam iisdem testimoniis insi-  
gne deprehenditur, licet loca distent aliquot  
milliaribus.

- a) Et inde percipies differentiam serierum  
ratione testarum, quarum haec omnia de-  
struxit, (12. 18. 19. 21.) nec praeter nu-  
cleos

- cleos quid conseruauit; illa in paucis singularibus tantum stratis (14. e, 16. c) alia tandem per plurima strata. (10. II)
- b) Hinc testaceorum corporum indoles alkalina mucosa ad stratorum indolem nos deducit, et vim conchas resoluendi eis inhaesisse nobis persuadet, quae in aliis defecit, et nouam exinde stratorum, alcalino aut mucoso plus minus saturatam, mixtionem euincit. (12. c, 76. k, 77. f)
- c) Quin argillaceo margacea deprehendes strata, ex meris transmutatis conchis composita, quae aëris et pluuiarum vī in pulverem dehiscunt plus minus tenacem, si depsetur: vt stratum argillaceum sub strato subtus caelato statuminis testacei luculentissime hinc inde demonstrat. 11. g)
- d) Vnde iam nūcleos argillaceos et margaceos seriei arenaceae, vbi nulla testa his in regionibus reperitur, explicare, atque ex testis, in margaceam massam transmutatis, deducere poteris. (12. c, 13. c)
- e) Tandem partem coloris flavescentis, viridescentis, quo talia strata argillacea scatent, huic alcalino mucoso testarum tribues. (162. e)

## §. 222.

Inter heterogenea cuiuscunque seriei ad das mineras cum aliis mineralibus, et si fieri potest, designes montis cuiusuis peculiarem indolem; montes enim eiusdem seriei non nunquam, praesertim in ambitu (35. a, 37.)

per speciales mutationes a se differunt, quod singulari alluviei tribuendum est, et motuum terrae singulares effectus (138. p.) ut plurimum designat.

a) Minerae quidem, praeter terreas et lapideas, sulphure et arsenico in mineralia redactae esse dicuntur; an vero spathum et quarzum, nil particularum metallicarum resolutum, seu in minerale redactum contineat, nondum determinari potuit, licet iusta suspicio subsit.

#### §. 223.

Tandem in montium cacuminibus colligas fragmenta lapidum, his montibus quoad seriem peregrina, (181. a) ut eorum loca natalia tandem eruere et torrentis magniam (183) indigitare possis.

a) Nonnunquam fragmenta in nostris montibus reperiuntur, omnibus seriesbus et omni ambitui nostrae regionis minus tribuenda, atque potius a longinquis locis deriuanda, nisi ex interioribus, ambitus tantum essent protrusa.

#### §. 224.

Cum tophaceas species collegeris, in primis inferius stratum nigrum vere lapideum obserues, (195.) tanquam nouissimum, licet antiquum, mutationis in lapidem testimonium, quod terram superficiariam fructiferam (196. a) in lapidem transmutauit, certo arguento, salinum principium potentissimum esse lapidificans (195. a) aliarum terrarum,

a)

a) Nec minus plantas et animales partes transformatas aut inclusas seponas, si forsitan peregrinum quid, cuius nullum vestigium his in locis reperi, subesset, quam viam eiusdem torrentis e longinquo deriuare possemus.

## §. 225.

Si haec methodus industriae virorum, hinc inde degentium, placebit, et obseruationes suas cum orbe literato communicabunt, tunc per diversa testimonia de varia regionum conditione, magis elucebit, quae iura mari veteri et hodierno sint statuenda, et quam parua priuilegia terrae firmae per se sint concedenda.

## §. 226.

Iam metallicolis huius doctrinae usus erit communicandus, quo eam tam cum venis metallicis (42) quam stratis suis metalliferis (16. b) et lithanthraceis (23) conferant, et lumina noua per obseruationes speciales, et singulares determinationes, afferrant, atque tandem systema metallurgicum theoreticum communioris usus exstrui, et nugas destrui possint; ipsorum autem experientias nostris obseruationibus intercalare lubuit.

## §. 227.

Cum pura luta marina eorumque series per se nil minerarum producere (124) potuerint, atque minera potius per heterogeneam vim, (133. a) terrae motibus (139. a) excitatam,

ori-

originem, et post motuum concussions, fissurasque inde ortas, per alluviem aut fluminum vndationem, in his fissuris natale suum solum obtinuerint; hinc systema metallurgicum secundum cuiusque regionis dispositionem exinde deducendum erit.

## §. 228.

Regiones igitur, concussions tales passae, primum sunt explorandae, postea fissurae, luto metallifero tinctae aut repletæ eruendae.  
(42. a)

## §. 229.

Experientia docuit, ambitum montosum in primis tales per pessum esse concussions, (138. i) interiores autem regiones et planities non ita concussas reperiiri. (138. c. k)

a) Hinc metallicola ad exteriores montosas se conuertat regiones, nisi operam perdere velit. (127. e)

b) Interiores enim series, etiam si fissae sint, concussionem tantum a vi propagata, absque alluvie luti, ad metalla procliuis, quod loco, per vim motuum primam, vaporibus concomitantem, concusso, competit, (17. e) experta sunt. Sic farinacea, arenacea, et testacea series saepius quidem fissae, quin et concussae reperiuntur; nullibi autem tantum mineralium continent, ut metallicolae, nisi physicus sit, operaे pretium solvant.

## §. 230.

## §. 230.

Vis autem valles producens prorsus alia fuit, (39. a) quam montes tantum findens, (105. a. b, 138. b. h)

a) Hinc fissurae saepius valles dissecant, et prorsus contrariam directionem observant.

## §. 231.

Vis findens magis secundum lineam quan-dam regularem egit, et plures simul fissuras eodem tempore produxit, (39) in primis circa montium radices (138. b)

a) Plures igitur fissurae eandem plus minus obseruabunt directionis lineam (*des Ganges Streichen*) et per regionem quan-dam secundum hanc regulam dijudicari poterunt; (138. b) maiorem autem simul minores (*Beygänge, Trümmer*) concomi-tari possunt.

b) Minores autem fissurae vel a maiori re-cedunt, et in reliquam seriem vage de-currunt (*abfallen*) aut versus maiorem sese deflectunt (*zufallen*), quales circa mon-tium radices frequentiores esse solent; ra-tionem quaeras in varia tum temporis du-ritie, quam series habet, tam cum findi-tur, quam cum rumpitur. (98. 104.)

## §. 132.

Concussionis autem actio alia esse debuit in seriem iam induratam, quam in minus induratam, adhuc tenacem; (104)

a)

- a) Haec fissuras magis per strata secundum lineam vis concutientis, ut plurimum perpendiculares (*Seiger*) interdum obliquas (*Donlegicht*) obtinuit; illa magis fragmen-  
ta produxit, quam fissuras. (*rüllich Gebürge*)
- b) Si quae series alibi nondum satis indu-  
rata et lutoſa fere adhuc fuit, quassata tan-  
tum est, et vix regulares fissuras, nec fra-  
gmenta, sed confusum coagmentum (*Stök-  
ke, Flötze, Nester,*) secundum lineam fin-  
dentem exhibere debuit.

## S. 233.

Lutum metalliferum aequa diuerso modo  
agit in seriem induratam, et minus indura-  
tam. (107. b. c)

- a) Huius fissuras non solum repleuit, sed  
quantum vis luti actiui penetrare potuit,  
strata vi sua impraegnauit; illius autem  
strata minus penetrauit lutum, et fissuras  
per se repletas a latere nonmutatas reli-  
quit; pro sua vero indole, mutationem  
cam in mineram, quam salem mineralem  
aut terram sterilem (*Gangart*) subiit, prout  
largius aut parcior, efficaci vi, aut minus  
efficaci, intravit.
- b) Lutum, tales duriores fissuras replens,  
dum successu temporis induruit, quoad  
partem, strata attingentem, ob refrigerium  
relatiue maius, et lenem adhaesionem at-  
que absorptionem, primum ad quietem  
rediit, simbunque peculiarem effectit (*B.-  
steg, Saalband.*)

- c) Fissura luto repleta venae nomen (106)  
e) meretur, cum inanis nomen fissuræ  
retinere possit.

§. 234.

Serierum autem montes, cum primis in ambitu, non ubique eiusdem sunt indolis; sed specialiter nonnunquam, quoad alienam immixtionem aut indurationem, differunt (18.a)

- a) Hinc eiusdem seriei montes heic quassati aut fissi, illinc in fragmenta possunt esse concusssi; heic quoad fissuras repleti, illic tantum tincti, (39.e)  
b) Nec minus ob alienam immixtionem simul in lutum operari, et lutum metalliferum adiuuare aut impedire potuerunt, ut series rubra (113. 114. a) comprobat,

§. 235.

Vis concutiens diuersa nonnullos montes diuerso tempore pluries concussum, (102) vnde varia montium interna constitutio pendet, (39.d)

- a) Etenim prior vis per strata adhuc minus indurata fissuras producere aut ea quassare tantum potuit, cum subsequens strata, interim magis indurata, in fragmenta concutere potuerit.  
b) Quin et prior vis prorsus aliud lutum efficere potuit, ac subsequens; (112. 114.)  
b) hinc diuersa diuersarum fissurarum aut quassationum repletio, tam in eodem monte quam in eadem serie, evenire potuit; aut posterior vis prioris producta iterum resol-

resoluit, et venam exustam seu sterilem lumen dedit. (138. p.)

c) Hinc fissurae minores, maiorem concomitantes, dupli modo tam commodo quam detimento esse possunt; si diuergunt a maiori, subtiliorem lutum partem aliorum deduxerunt, et maiorem salinam partem ut fluxiliorem citius eripuerunt; si maiori accedunt, magis lutum suo accessu auferunt (111. d. e). Dein si minores temporis successu demum accesserint, pro conditione noui lutum, aut noua vi actiua, prius lutum augere, et minerae productionem ditiorem (138. k) reddere potuerunt, aut vi, priori contraria, minerae productionem (138. p) impediuerunt, aut deturparunt, ut rubrum ferriferum lutum, (113. d)

### §. 236.

Fissurae autem et quassata loca regularem (106. 107) lutum metalliferi repletionem admiserunt; coagmentum fragmentorum magis irregularem, si patuit. (232. b)

a) Montes igitur in fragmenta concusso abhorrebit metallicola, nisi hinc inde quae sitare velit; inquiret autem in eos, qui fissuris simul praediti sunt.

### §. 237.

Durities secundum montis strata diuersa circa tempus concussionis lineam fissurarum, tam quoad strata fissa, quam quoad totos montes, ob variam resistantiam, vim deflectentem, (104) varie deflectit.

a)

- a) Nam vis strata findens, ob diuersam variae duritiei resistentiam, aut corpus alienum intermedium, a linea sua hinc inde deflectere debet, cum tota tamen linea in eodem tramite (*das Hauptstreichen des Ganges*) pergit, licet quoad partes incurvatis, cuius maximam curvaturam et orgyliis aequalem ponunt metallicolae.
- b) Hinc metallicola, si obicem offendat, eo perfozzo, in eandem venae directionem redibit ut plurimum.
- c) Nonnunquam strata modo obtuso, incurvo, recto sunt disrupta, quod diuersam tenacitatem illius temporis indicat; quin et montes ipsi tali modo diuerso apparent fissi, ob plura strata sibi incumbentia, eandem duritatem habentia, quae inferioribus et superioribus non aequa talis erat.
- d) Inde diuersus quoque fissurarum ortus est habitus, ut quaedam hinc inde coloratos margines exhibeant, et strata molliora, absorbtioni apta, luti tincturam attraherint, alibi autem tale quid, ob duritatem stratorum, tincturam respuentem, non contigerit. (107. b. c. d)

## §. 238.

Eadem durities (237) variam internam fissurarum dispositionem, pro locorum varietate, debuit efficere.

- a) Cum enim luti tinctura vim metalliferam per puluerem subtiliorem exhibeat,

(106. 107.) hinc luti versus inferiora penetrantis vis, dum strata hanc tinturam plus minus absorpserunt, diminui, et introrsum, ubi venam iam constituit, ob imminutam vim, parciorem mineram, aut prorsus aliam exhibere debuit.

b) Idem vero lutum, si tale, quale intrauit, ad inferiora loca subsedit, vim omnem retinuit, hinc efficacius operari et largior rem mineram producere potuit;

c) Nisi tintura, quae ut plurimum martialis est, hoc modo, tanquam impedimentum, absorptione remorum, venae plus commodo quam detimento esse potuerit: An cobaltina tintura (42. a, 109) ultra margines efficax fuerit, nondum eruere licuit.

d) Minimum venae, non circa margines tinctae, plus salis mineralis, quam quae margines tinctas habent, continere solent.

### §. 239.

Series autem per longiora (63. 77. a) temporum interualla sibi successerunt (75) hinc si series, quae prior tempore erat, fissa fuit, subsequens series has fissuras obtegere potuit, (99) ut prioris seriei fissuras non reperire possis, nisi per obtegentem seriem ad inferiorem penetraueris.

a) Sic series calcario farinacea, nec non arenacea, obtegit in nonnullis bonae specie locis seriem calcario metallicam fissam,

b)

b) Series quaedam fissa, si alia postea serie fuit obiecta, hoc subseguente tempore quoad partem obiectam a latere noui fluminis, tanquam vndationis loco, (56) fuit posita, quoad partem vero nudam sub fluminis agitationibus procubuit; hinc in tali nuda parte vis fluminis mixturam, fissuras repletam, tam elatriauit, quam diluendo in reactionibus suis impediuit; pars autem obiecta, in quiete posita, omnes suae mixturae possibles reactiones subire, et producenda perficere potuit, quod metallicae, experientia edocti, fatentur; dum illas venas ob defectum tecti exhalasse dicunt.

### §. 240.

Vis priorem seriem findens secundum aliam lineam fissuras producere potuit, (99. a. b, 100) ac vis subsequens, seriem succendentem findens, hinc duarum serierum, sibi incumbentium, lineae, fissuras dirigentes, a se diuergere aut prorsus contrariae esse possunt: videoas tab. 5.

a) *A A A* sunt series fissiles concussae, ad perpendicularum fere hinc inde euersae; per seriem vero calcario metallicam *B*, horizontaliter adhuc plurimum procumbentem, remotius autem per farinaceam *C* tectae: hinc fissurae seu venae *ddd* serierum fissilium itidem obteguntur serie calcario metallica, prorsus contrario modo in fissuras *eee* diuisa, quae denuo per seriem

farinaceam teguntur. Metallicola igitur venam & prosequens in minimo putei sui puncto fissuram & transverse tantum attinet, nec propterea quid minerarum reperire posset extra hoc confinii & e punctum, si secundum suaevanae directionem et descensum in seriem fissilem puteum suum profundius ageret. Nec minus ob seriem farinaceam, fissuras calcario metallicae seriei saepius tegentem, metallicola incertus huius venas eruet, nisi prius loca, ubi series patula obstat, perpendere, aut alia indicia ex regionis analogia deduxerit. Unicam venam, per calcario metallicam et fissiles series simul transeuntem, aet vitriolico aluminoso magmate inferius tantum foetam, per *fff* designauit.

b) Hinc si metallicolae venam per superiorem seriem ad inferiorem usque iam prosecuti sunt, saepius experientiae suae credunt, se ad aeternum fundum usque nil amplius minerarum reperturos, quod in hoc casu secundum superioris venae transmitum verum est, neutquam vero secundum inferioris seriei venas, contrario modo vergentes.

### §. 241.

Inferiores autem series in intercapedibus serierum obtegentium libere adspectui sunt expositae, (30) et saepius in continuo infra obtegentes proserpunt.

a)

a) Hinc metallicola in his locis ex fissuris seriei, heic nudae, ad fissurarum huius seriei proxime obiectarum concludere vallet directionem, non vero mixtionem.

(239. b)

### §. 242.

Ordo serierum (8) quoad situm quidem constans reperitur; quoad positum autem variae hinc inde mutationes euenerunt, tam in ipso primo ortus tempore, per naturam loci, quam in subsequenti, per varia violenta accidentia.

a) Per rei naturam (93) plana series alteri quoad strata plana insidere deberet, quod tamen in ambitu plane mutatum reperimus; hinc metallicola, si ordinem sicutus primum nouerit, cuiuscunque regionis singularem positus ordinem obseruare debet, nam series et statumen nonnunquam a naturali suo positu detrusa videntur, ut vix in naturali fuisse crederes (89). Sic strata saepe perpendiculari fere positu in altera serie, aliorum iterum propendente, sunt posita, et statumen, per se infimum, interdum summum est factum, si inclinationem uniuersi montis perpendas.

(40. 41)

### §. 243.

Cum vero motus terrae aequa badius euer-  
sionis causa sint ac fissurarum (95 seq.),  
hinc in nonnullis locis ambae sunt pensitan-  
dae, et inquirendum est, an euerio post iam

praegressam repletionem fissurarum subsecuta sit, an vero postea demum fissuræ, et repletio, euenerint.

## §. 244.

Verum repletionis fissurarum primariae causæ fuerunt alluvies et fluminum vndationes. (106, 107)

a) Quam ob rem metallicola, cum seriei aut montis situm atque positum, et alia accidentia, cognouit, montes tam superiores quam laterales, proximos et remotiores, secundum eorum plana, loca inclinata et angulos oculo dimetiri potest, an forsan alluviei aut vndationis directionem (56. 60) eruere atque ex eorum statu de compleimento fissurarum præsumere quid possit.

b) Montes resistentiam, valles liberiorem fluxum concederunt (138. a); hinc versus angulos montium, vallibus propinquos, lutosa depositio largior esse debuit, nec non in inclinata parte montis, vallem longiorem occludentis.

c) Reperimus etiam montes concusso, aliis aeque concussis, positu nonnunquam diverso adiacentes, ut horum massa puluerulenta, motibus terrae luto marino admixta, proximis allui et communicari potuerit, inprimis si per positum diuersum eluceat, hos non eidem vi expositos fuisse. (107, e)

## §. 245.

Series autem tres, ortu posteriores, etiam si fissae sint, rarissime fissuras tinctas, ne dicam repletas, exhibuerunt. (42. a, 108. 109. 110)

a) Cum igitur harum quaedam seriem, venis donatam, vlibi obtegit, metallicola hunc euitet locum, ne sterilem seriem perfodiens, per plures menses oleum atque operam perdat. e. g. Metallicola, dum cuniculum ad seriem metallicam agere volebat, locum elegit, quo 80 orgyiis nondum arenaceam, ne dicam farinaceam, seriem atque statumina perfoderat, cum in intercapidine, vix quingentos passus distante, per quartam harum orgyiarum partem suum scopum obtinuisse.

## §. 246.

Ob constantem serierum ordinem per eorum enumerationem (10 - 25) praedicere licet, quae series subtus lateat.

a) Vice versa non concludere licet ob intercapdines. e. g. Si quis per cuniculum seriem rubram fissilem attingeret, et concluderet, calcario metallicam seriem heic impositam procumbere, falli posset, nam per intercapdinem seriei metallico calcariae haec satis remote procumbere posset.

## §. 247.

Ex limo, certum determinatum tractum obtegente (80. IV) autumabis quidem, calcariam heic latere seriem; (79. VI) quae au-

tem in specie sit, per alia loca nuda inuestigare debes, vt tunc subsequentem enumere, et calcario metallicam indicare possis.

### §. 248.

Haec series calcario metallica per metallicarum experientiam strata scissilia, saepius cupro argentoque praeognantia, continet. (16 b, 127 - 131)

a) Haec strata versus inferiorem huius seriei partem sita sunt, et tantum aliquot strata inter haec, et statumen arenaceum, intercedunt. (37. b; Fig. I.)

### §. 249.

Verum haec strata vt heterogenea, et per alluuiem ambitus conuoluta, non ubique eiusdem sunt altitudinis aut pretii. (37. b, 146)

a) Plurimum tamen eiusmodi locorum, vbi largius reperiuntur, comparatio inter se, probabilem montium, tribus seriesbus fissilibus adnumerandorum, positum, ad hanc alluuiem procluem, alibi etiam spondere posset.

### §. 250.

Si heterogenea carbonum fossilium aut alumina strata requiras, (22. 23) eligas intercedinem seriei coeruleae, seu vbi haec coerulea series maximam partem in aprico posita est; tunc enim proxime subtus latere debent. (36. b)

a) Locum autem, his carbonibus sat diuitem, similis comparatio aliorum locorum

et

et proximarum illius aetatis serierum ad alluviem propensio, indicare posset.

b) Haec strata in nostra regione non nisi ad summorum montium, in ambitu positorum, radices deteguntur, ut Saalfeldiae, vbi aluminosum statumen procumbit, aut Manebachi, vbi ipsi carbones effodiuntur.

(37. b)

c) In planiori regione, vbi series magis extensa procumbunt, vtraque strata carbonacea et aluminosa in planioris seriei intercapelinibus reperire licet, atque largius vtplurimum, quam in nostra regione;

d) Hinc inuersa altitudo, seu copia stratorum heterogeneorum, aliunde per vim alienam in nostra loca conuolutorum, atque stratorum homogeneorum, in nostris locis per vim maris propriam procreatorum, elucet; Haec strata per mare pristinum magis in nostra regione accumulata sunt; illa per vim alienam, in nostra loca irruentem, illinc quo vndationi et alluviei commodior locus esset, largius prouoluta sunt; Id quod stratis fililibus, quoad partem heterogeneam aequa competit.

§. 25 I.

Diuersa tandem regionis conditio diuersas itidem constituet regulas.

a) Sic in nostra Saalfeldensi et Blankenburgi vicinitate continet series metallico calcaria vix notatii digna strata scissilia; ast fissuras tinctas hinc inde repletas, nonnum-

quam prorsus quassatas, ut Koenitz, praeter mineras cupreas, lapide bono ferrifero repletas. Hinc in distantia milliaris regula de venis quoad semissem sunt in valore, quae in altera semisse non adhiberi possunt, cum conquassata series prorsus anomalum modum in venis inquirendis requirat. (235. 236)

## §. 252.

Ad metallurgum autem, qui mineras fundit, itidem quidam redundabit usus, si ordinem ferierum, tam prope suam vstrinam, quam circa loca, de quibus minerae aduehuntur, cognouerit.

- a) Nonnullis enim additamentis ad faciliorum minerarum fusionem opus habet, ut spatho quarzeo (112. 114. 119), gypso (11. 15), calce (10. 14. 16), pyrite (42. a), lapide martiali fluxili (251. a) aliisque, quorum loca natalia si nouerit, saepius ea ex vicino loco desumere poterit, cum alias ex longinquis locis aduehi debeant.
- b) Praeterea magna est differentia inter eandem mineram, si ex alia vena, aut alia serie effossa sit, ob adhaerentes partes alienas, maxime inter se diuersas, aliquique tractandi modum requirentes, id quod usus quotidianus fusores iam docuit, e. g. cupri minera ex calcaria, et talis ex argillacea serie, differunt. (111. b, d, 112. b, d.)

c)

c) Licet illustr. Pottii methodus inter omnes fusoribus maxime conduceret, adhuc maius commodum tamen sperare possent, si ordinem serierum et contenta (215 seq.) simul nouerint.

## §. 253.

Succedat iam huius doctrinae usus, quem agricola percipere potest, si serierum et statuminum ordinem cum terrarum frugifera- rum cognitione coniungere, atque harum mutuationes ad agrorum aut pratorum fertilitatem suscipere velit.

a) Nam terrae per se famiam se inuicem emendare, et stercoris locum supplere possunt, ad longius equidem tempus, quam stercus, facile consumendum.

## §. 254.

Nonnunquam intra spatium milliaris (28 b), reperies aliquot serierum montes et statmina. Versus planities quidem tam frequenter (32. 33) non alternant ac in montosis, ampliores enim sunt intercedentes; verum, si quis tantummodo seriei, cui inhabitat, ordinem (9 - 25) et vicina loca noverit, facile mutuationem ad agrorum suorum commodum perspiciet.

a) Dum cum agricola colloquor, vox argillae, arenae, calcis et sic porro, designat terras huius generis, quae maximam partem agrorum constituunt; non lapidea strata, nisi determinans, verbum additum sit.

## §. 255.

Regiones argillaceae vt plurimum sunt statimia, (11. 13) plus minus extensa, et aquis torrentibus adhuc ampliora reddita.

- a) Si igitur in proximum collem aut montem inquiras, cognosces, ad quam seriem hoc statumen pertineat, an ad arenaceam an calcariam.

## §. 256.

Argilla autem melior redditur tam per arenam, quam calcem, et margam (11. g, 13. c)

- a) Huius argillae tenacitas per arenam in rariorem transit conditionem, vt pluiae melius penetrare, aër atque solares radii vapores magis commouere, et radices frumentum felicius proserpere possint.  
 b) Calce et marga calcaria aequa rarefit, et pingue argillosum simul resoluitur, ac dumque inhaerens vegetationi magis per margae alcalinam terram appropriatur, (76. e. k)  
 c) Hinc utrinque modum emendationis desumere potest; dummodo planities non adeo extensa sit, vt colles arenacei aut calcarii longius distent.

## §. 257.

Arenaceam regionem si quis inhabitet, in eundem usum reciprocum tam calcem, quam argillam, adhibere potest.

- a) Argilla nimis celerem impedit agri arenosi evaporationem, et pingue (256. b) quod-

quoddam tenax illi suppeditat, quo pluviarum pingue salinum, fructificationis principium, quod celeriter imbibit, longius retineat, et frugibus eius insorbendi longiorem moram et faciliorem modum procuret.

b) Calx autem tam pluviis absorbentem terram praestat, quam ipsi arenae meliorem dat cohaesionem, (76. c) et crustam, ne ventorum rapacitate frugium radices denudentur, exsiccentur; quin ipsa calx, pluviis successive soluta, his frugibus fit alimentum.

c) Repetitus calcis usus ipsam arenam quodammodo resoluere, aut ipsa calx, si malis, in arenaceam quandam duritatem transire videtur, hinc pinguis argillacea pars non nunquam interponenda est, ne terrae agrestis pars salina pingue ultra iustum rationem et proportionem supereret, et agrum potius sterilem reddat; pinguis usum celeb. Kübel euicit esse necessarium.

### §. 258.

Calcarium purum solum vix reperitur, ast margaceum seu argillaceum cum calce commixtum; verum plurima pars serierum calcariarum limo et frustillis calcariis obtegitur.

a) Tali solo margaceo calcario, ut plurimum albido, nec arena nec argilla satis succurret, nisi nimis calcarium atque magis topaceum (197) sit, cuius alcalinam indolem

dolem argilla, obscurè rubra, pluviis dehiscens, mitigat; tophaceam vero mixtio- nem, aquarum tenacem, arena simul ad- dita exsiccat.

b) Verum, si series fissilis coerulea non ni- mis distet, strata eius molliora, ad cretam nigrā, et alutinosa (21, 22) quodammodo accedentia, per acidum suum et ter- ram pingue, aëris vi dilabentem, calca- riā temperabunt mixtionem, et partem alimentariam simul exhibebunt.

c) Agro e frustillis calcariis limoque com- posito, ipsa frustilla, in cumulum conca- vum congesta, limo caementata et tecta, dum lignis tenuioribus aut stipulis adeo exuruntur, ut mediante aëre calx, inde na- ta, dilabens, limo iam vsto commisceatur, commodum afferre possunt. Si praeterli- mum vstum grumulos argillae rubrae ex proximo statumine addideris; haec aci- dum suppeditabit, calcariam terram magis frugiferam reddens, si limus non sufficiat.

#### §. 259.

In nonnullis regionibus limosum agrum, versus loca torrentis magni, proluviebus et promptuariis limi propinqua, (185) repe- ries.

a) Limus autem aquas pluuias diutius reti- net, illas acescentes reddit, tandem exsic- catus nimis indurescit, et radices compri- mit, atque tam siccus, quam humidus, vt dicunt, fruges suffocat.

b)

b) Si calcaria igitur marga (11), aut calx ipsa, stipulis exurenda, aut tophacea terra pura (191. a) nec non arena in viciniis locis reperiatur, haec dissemines per vires, et malo agro consules: calcaria enim pars mitigat facile acescens sal limi; arena vero tam evaporationem humidi limi, quam poros siccii conseruat.

## S. 260.

Verum agricultorae, series fissiles inhabitantes, vix habent, quo agros suos lapideos ad meliorem frugem reducant.

- a) Plurima pars est terra talcosa (215. d) limosa (18. e, 21. a) cum lapideis, argillaceis, et quarzeis concussis frustillis (102. 119. f. g. h) composita, nisi hinc inde molliora strata singularem habitum, quibusdam agris concilient. (258. b).
- b) Eorum vero montes sunt feraces, sylvarum, iisque insident marmora (19. a, 21. a) et strata spuria calcaria, item nucleis calcarisi (19. b, 21. b) repleta; hinc, lignorum adiumento, calcaria haec strata, cum frustillis aliorum stratorum, minus quarzeorum, parcus mixta, adurere, et aeris vi in terram frugiferam conuertere, lapidesque agrorum imminuere possent: pars autem horum frustillorum lapideorum frugibus magis est commodo, quam detimento.

## S. 261.

## §. 261.

Verum quae agris conducunt, pratis itidem conueniunt, mutatis mutandis.

a) Sic nostrae profundioris regionis prata paludosa saepius gramine, animalibus minus proficua, ob argillam et limum copiosiorem proferunt, vnde aquae diutius recurrentae acescunt; (259. a), terram martiam resoluunt, atque in cuticulam euaporatione efficiunt, ut pabulum equis tantum conducens inde obtineatur.

b) Hinc tam acor mitigari, quam facilius euaporatio aquarum promoueri, poterit, si vicinam seriem testaceam ob conchas eligent, e quibus calx adusta magis puluerulenta dehiscit, et pinguior, ut dicunt, euadit, forsitan ab partes animales iphaerentes; nec tamen refert, an etiam aliam calcem adhibeas, dummodo ab aere libero successive eo redacta fuerit, ut disseminata, per aquosas particulas celerius resoluta, in rudes moleculas duriores non concrecat.

c) Arena, licet eo requiratur, nullum praestat usum, dum pondere et mobilitate sua facile per terram hanc rarefactam descendit, nec acescenti aquarum indoli obset, atque potius eam iuuare videtur, salina sua parte resoluta.

## §. 262.

Inter haec curiosus, in frugiferam terram inquirens, animaduertet, statumina, tam per suam,

suam extensionem planiorem, quam per strata argillaceo margacea, maximam parte in frugiferae terrae, praeter limum, series calcareas et fissiles obtegentem, atque per torrentem maiorem hinc inde prouolutum, (259) suppeditare.

a) Simul experietur, argillam limumque putredine aquarum et vegetabilium magis nigrescere (130.b) et pinguiorem tenaciorumque fieri, atque terram, agricolis sic laudatam nigrā frugiferam, constituere.

### §. 263.

Praeter haec serierum et statuminum vicissitudo, soli et vegetabilium varias alternationes produxit, nam plurima vegetabilia suum amat peculiare solum; exemplum exhibent, quae ligna spondent, focus destinata.

a) Quercus amat solum arenaceum; fagus limoso argillaceum, aequē ac abies alba; rubra vero abies tam arenam limosam, quam limoso lapideum solum; pinus magis arenosum; betula vaga tam arenosum limosum, quam limosum lapideum.

b) Nec minus fruges et olera singularem exoptant agrum, vt triticum magis argillaceū; secale, praeter hunc, arena et lapidibus nonnihil mixtum; hordeum magis arenaceo limosum; far limosum lapidosum; fagopyrum argillaceum lapidosum.

c) Quin et pabula suo gaudent solo, onobrychis margaceo argillaceo; medica magis arenoso argillaceo.

### §. 264.

Horum vero omnium cognitionem cele-  
rius acquiret, qui in regionem sibi vicinam  
secundum hanc institutionem inquiret, et  
quaecunque sui pagi naturalia corpora cum  
aliis, secundum eorum internam virtutem,  
conferet.

a) Vnde nonnunquam sub ipso suo agro  
eam reperiet terram, (262) quae solum  
agreste immutare possit, et quam ob ex-  
tensionem superiorum stratorum, pluviis  
magis dilatatorum, tantum ex remota re-  
gione aduehendam credidisset.

### §. 265.

Tali modo pagus pago succurrere, et qui-  
libet rura sua per vicina loca, aut proprias  
serierum vicissitudines, ex nociva indole in  
meliorem deducere, atque ad tempus sterlus  
oleribus solum impendere posset.

### §. 266.

Quatenus autem quiuis homo domicilio  
opus habet, nosse conducit, vbi arenam, aë-  
ris iniuriis, aut ignis vi, resistentem, nec non  
calcem, aut gypsum, aut litum, aut tophum;  
quin et ad palatia, aedesque sacras, marmora  
alabastraque quaerere liceat.

### §. 267.

## §. 267.

Arena compactior, columnas, statuas, gradus, murosque constantes exhibens, ut plurimum in suae seriei (12) superiore semisse, inter sextam et decimam orgyiam, infra cacumen, reperitur; nonnunquam etiam versus inferiorem huius semissis partem,

## §. 268.

Arenam, ignis vi resistentem, in inferiore semisse (12. e) prope statumen inuenies, aut salino medio denuo lapidefactam, aëris vim aequa perferentem, (267) et chalybi magis resistentem, (*ist Wackicht, frisst das Eisen*) aut argilla sola glutinatam, igni solum resistentem. (78. IV)

## §. 269.

Calcarii lapides item ad muros adhiberi possunt, in primis farinacei (14) chalybi magis obsequiosi (*vnde: Meelbatzen*) quibus et statuarii nonnunquam vtuntur.

a) His analoga reperies strata, calcario marginacea lapidefacta, in serie testacea.

## §. 270.

Ad calcem vivam in nostra regione eliguntur strata nigra seriei farinaceae; (14. b) in aliis locis, vbi haec series non patula est, ex testacea eliguntur aequa pura nigricantia, aut largius conchacea, nullo limo mixta, nec ob drusas nimis cauernosa strata.

a) Drusarum enim aut cauaminum (*Gallen, i. e. Blasen*) sal, tartaro vitriolato similis, nonnunquam ignis vim, calci destinatam, adhuc eludit, et lapideam retinet duritatem atque pelluciditatem.

## §. 271.

Gypsum vero ex statumine seriei testaceae (11. c) plurimis in locis desumitur; cum autem non ubique huic statumini gypsum inhaereat, eius loca (75. d) eminentiora, interdum a reliquo statumine separata, per gypsi perpetuum comitem, selenitem, proxime super arena, in tertia orgyia ad quintam usque, semper in inclinationis parte elevata, quaeruntur.

a) Alabastrum autem incertior heic quaestibus, cum rarius in hoc statumine reperiatur, et potius statumini farinaceo, prope ambitum Thuringiae patulo, inhaereat. (15. d)

## §. 272.

Latum quidem non secundum hunc solum serierum ordinem (80) deprehendes copiosum, verum ex regionis inclinatione, nec non montium aut collium comparatione, illum inuenies, si ante constituas, illum inter meridiem et occidentem prouolutum esse; in locis autem, ab hac vi securis, tantum quiescere et secedere potuisse. (185).

a)

- a) Hinc infra montium, huic directioni oppositorum, angulos, aut radices, depositum reperies, nisi planities hanc regulam vanam reddat, vsque dum longinquius distantes regiones, proluuiem hinc illincue dirigentes, huic regulae subordinaueris.
- b) Cum omnes casae rusticae, nec non magna pars domuum in vrbibus, hoc limo exstruantur; hinc omnino conducit, eum reperire posse, in primis post incendia, ubi magna eius copia insumitur in restituenda domicilia.

### §. 273.

Tophus ob poros et salinam indolet constituit lapidem, reliquis leuiorem, vnde ad caminorum exstruenda fumaria, replendosque parietes adhibetur, et prope montes calcarios circa vallum et planitierum (191. a) loca inclinata, ad proluuiem aquarum ex altiori parte disposita, quidem reperitur; non tamen tam certo indicio, cum per pluuias infra terram limosam, argillaceam, arenosam lateat; hinc fossae et viae, pluuiis denuo elota, primum indicium exhibere debent, nisi per se in vallibus pateat. Nonnunquam porosa farinacea (14. 269) strata tophi vices supplent.

### §. 274.

Marmora bona si architectus quaerat, ea nonnisi in fililibus ambitus seriebus inueniet. (19. a, 21. a)

a) Locus autem certus determinari non potest, cum strata, quae hoc loco marmorea sunt, alibi tantum nucleos calcarios contineant; hinc strata, nucleis praedita, verosimile indicium marmoris hac in regione reperiundi praebent, rubri in serie rubra, nigrescentis in coerulea.

§. 275.

Idem ordo serierum atque statuminum, nec non obseruationes repetitae de locis scaturiginum, indicant, quorsum fossor, qui scaturiginem quaerit, fodere debeat.

a) Scaturigines autem nostrarum regionum ad radices serierum, prope statumen, scaturiunt, unde nonnunquam in montibus, per plures (82. seq.) series compositis, in medio montis prorumpunt.

b) Obserues igitur, quorsum statumen inclinet (93. a), illinc enim ob inclinatum stratorum argillaceorum positum aqua profluet.

c) Beccherus iam obseruauit: argillam, quantum aquae transitum impedit, fontium esse fundamentum, hinc confluentem colligi, vsque dum rivulum constituere possit.

d) Accedit, serierum fissuras tam aquas pluuiarum, quam aërem vaporosum, vt frigidiores adtrahere, et aquam perinde praecipitare, vt guttatum ex rimis in fis-

su-

suras, (136. f. h.) vsque ad tale stratum argillaceum, confluat.

e) Aut tot confines sunt fissurae minores (98) cum maiore, vt hanc aquis replere, atque hinc prope majoris exitum fontem constituere possit, id quod in seriebus fissilibus fieri solet.

f) Hinc versus radicem seriei talis aquarum collectio certius reperiri potest, ac in medio seriei, nisi eius positus, ob propinquiores altiores montes, huic conexos, aquarum heic confluentium copiam promittat, cum fissurarum minorum directio versus talem locum prouersa est.

g) Fosfor itaque seriei situm, positum, fissurasque perpendens, certius ad locum scaturiginis aptum, perueniet, ac aliis.

### §. 276.

Fontes salinos per Thuringiam plures habemus, nec tamen adhuc specialis regula de eorum loco natali stabiliri potuit. (119. k.)

a) Celeberr. quidem Lehmannus in suo cito scripto generalem proposuit indicacionem, eos ab ambitu remotos, et versus interiora Thuringiae, seu metallicolae a tergo, reperiri, quod vox metallicolis visitata: (*im Hangenden*) designat, cum metallicola, in puteum descendens, semper faciem versus inclinationis basin vertat,

quae hoc in casu per ambitum Thuringiae constituitur, quo Thuringiae interiora metallicolae a tergo sunt; quae vero strata specialius hoc condimentum nobis porrigan, non determinare voluit.

b) Plurimorum autem salinorum fontium vicina strata sunt statumina gypsea, (11, 15) infra calcariam testaceam seriem (aut farinaceam) (14) procumbentia, et arenaceae (12) seriei imposita; hinc etiam fontem talem, ex serie arenacea profluente, nisi dictum statumen nimis remotum sit, per arenaceas tantum fissuras, ad statumen superius extensas, huc confluxisse, credendum est.

c) Fontes igitur, per aut infra haec statumina prorumpentes, curiosius sunt inquirendi, nec terra nonnullorum tophacea protinus reiicienda est, cum domus gaudatoriae pluries tophum salinis aquis inesse comprobent; in primis cum diluuium tophaceum (203, 207) suspicionem excitet, annon hoc diluuium plus veri salis marini in nostris terris per suum transitum reliquerit, quam omne mare pristinum, quod nobis tantum corpora, per eius terram, varie formatam, producta, reliquit.

### S. 277.

Practer hos dictos usus omnes artifices, et opifices, si regionem suam secundum hunc se-

serierum ordinem lustrauerint, plurima naturae producta, sibi necessaria, faciliori negotio reperient, aut, si lateant, detegent.

a) Simulac enim quis seriem aut statumen tantum nouerit, cui corpus desideratum inhaeret, tunc ex eius altitudine, positu, proxime adiacentium stratorum indole, aliisque indiciis alibi in eadem serie corpus hoc inueniet; nisi sub certis tantum circumstantiis seriei hoc illoue loco inhaeret; quas si annotauerit, faciliorem nihilo minus modum inueniendi in alia simili regione praestabunt.

b) Si quis optet cotes subtiliores, polituram efficientes, seriem fililem tam coeruleam (21) quam albidam (18) adeat; haec albidiiores, illa nigriores spondet.

c) Si crassiores cotes; eiusmodi duriores exhibet series arenacea in infimo loco prope statumen, per strata nouo salino medio bis lapidefacta (268); molliores dant strata proxima inter summa (220) vbi puriora, nec limo, nec salino glutine mixta deprehenduntur, et per minora granula sub eadem duricie mollior videtur: Si ad politurae praeparationem tales desideres, sumas inferioris semissis strata, ex minimis granulis per argillam (80. IV.) conglutinata: durities strati a glutine simul lapidefacto pendet.

- d) Si cotes, tornandis quibusdam instru-  
mentis inseruientes, per granula duriora  
magis deterentes, ex fodinis arenaceis  
(267) stratum purum aequale feligas. In  
nonnullis locis, vt Seebergi, strata plurima  
excellunt, et aliarum regionum selectis  
stratis antececellunt.
- e) Si molares, strata impuriora, maioribus  
granis mixta, et salino medio denuo glu-  
tinata, in quibusdam solum regionibus re-  
periunda, indages, vt Grauwinckelii prope  
Arnstadium; aut granitem eligas, nec  
non quarzum purius, (215. a) vtraque  
in serierum fissilium cacuminibus hinc inde  
latentia, si forsan vitra, vt smaltam, aut  
stanneum ad murrhina vasas, aut arenam  
et lithargyrum, vt figuli, in alcohol redi-  
gere velis.
- f) Si strata scissilia, tam scriptoriis tabulis,  
quam tectis destinata; in seriei fissilis al-  
bidae intercapedine coeruleam seriem,  
circa loca minus concussa et tantum in-  
versa, rarius sic deprehendenda, prope  
superiorem montis partem experiaris (21.  
C.). Nonnunquam series albida similia  
strata fissilia continet; ast non adeo egre-  
gia sunt, ac nigra.
- g) Si cretam nigram (*Schieferkreide*), coe-  
ruleam seriem in inferiori parte prope  
strata aluminosa (22) perquiras, aut stra-

ta proxime (f) citata, fissilia nigra molliora, illinc rejectanea, eligas.

h) Si rubricam, inuestiges seriem rubram (19) circa medium altitudinem, ubi libera in intercapidine metallicae calcariae seriei prostat.

i) Si quarzum purius quaeras, ut figuli; nec non, qui vitra et sinaltam conficiunt, amare solent, nec fluuii ex ambitu tale devolientes adflint, nec torrens magnus talia frusta attulerit, ex seriebus fissilibus, in primis rubra, (19) si terra ferruginea non obsit, depromas, aut in coeruleae (21) loca specialia inquiras.

k) Si fluorem vel quarzum spatheum desideres, aequae series fissiles, albidam (18) in primis, neutiquam vero rubram per quiras; colore amethystino et smaragdino prope Ilmenauiam ea praedita reperies.

l) Si lapidem lydium probum, per coeruleam seriem strata nigra, per albidam seriem nonnulla strata viridiuscula, vtraque salino glutine lapidefacta, nec tamen quarea, experiaris. (215. b)

m) Si quarzum nigrum, quod marmor nigrum nonnunquam vocant, eadem loca (1) adeas, et strata nigra (114) salino medio bis lapidefacta (107. c) eligas.

- n) Si iaspidem et porphyritem velis, earumdem serierum strata, minus obscure tincta, et arenaceo quasi, plus minus crassiore, glutine lapidefacta sumas. (215)
- o) Si terram umbraceam, calcario metallcae seriei loca magis quassata, quam fissa, per metallicolas aperta, consulas. (35. a 107. e)
- p) Si ochram flauam, ibidem (o) illam invenies.
- q) Si ad cupellas aut modulos, ab aurifabris sic dictum spathum exoptes, selenitem perpendicularem ex statuminibus gypsis in puluerem redigas. (11. 15)
- r) Sin argillam figulus aut laterarius quaefitet, in loca proluuiei infra statumina, (11 13. 15) aut arenaceae seriei partem, stratis argillaceis saepe alternantem (76. b) inquirat. Hinc in nostra vicinitate, intra regionem serierum fissilium, nullus figulus nec laterarius ob argillae et arenae inopiam degere potuit. Nec furnus calciarius ullibi eorum locorum reperitur, dum marmor (19 a, 21. a) non in calcem transiturum esse credunt.
- s) Si limum, ad ferruminationes utilem, serierum fissilium declivit ob talcosas (215 d) micaceasque squamas eum porrigent, ut Blankenburgensis eo fine limo, arenoso, atque

atque calcario (80. XI, 202. c.) antecedat, cum saepius in positu fixo omne laboris positum sit pretium. Limus enim saepius, praeter frequentem fluxilitatis scopum, cum in fine in adhibetur, ne partes metalli, sibi appositae, per vim ignis fundentem, seu ferruminantem, vacillent in positu suo, hinc talis refractarius limus votum magis explet, quam fluxilis, et per ignis vim, cuprum fundentem, in vitrum redigendus.

### §. 278.

Tam ad Physicos, quam metallurgos, aliosque, is communis ex hac serierum notitia redundat usus, ut per literas locum quendam magis determinare, regiones peregrinas cum sua facilius comparare, speciales atque generales variationes felicius cognoscere, et conclusiones suas certius stabilire possint. Hinc Cel. Schulzii Dresdensis, quantum adhuc bene memini, in disquisitionibus physicis indefessi, observationes circa sibi vicinam regionem multis modis adhibere potuisse, si serierum, illinc procumbentium, ordinem simul cum corporibus descriptis indicasset. Nuda enim oryctographia<sup>a</sup> alias regionis Physico, praeter corporum naturalium cognitionem, vix ullum usum ad amplificandam suam physicam scientiam praestat; cum incertus,

an

an et ubi tale corpus in sua regione quaerere possit, oleum operamque suam saepius perdat; designata vero serie, eiusque physica altitudine, tam longinquam, quam suam regionem, clarius cognoscere queat: ut alia plura taceam.

